

Die 12 Maii

S. Epiphanii, episcopi salaminensis

(Mem. facultativa, sed in Cypro mem. obligatoria)

Ant. ad introitum

1 Sam 2, 35

Suscitábo mihi sacerdotem fidélem, qui iuxta cor meum et ánimam meam fáciat, dicit Dóminus (*T.P.* Allelúia).

Collecta

Deus, qui Fílium tuum ad nos misísti,
 sine quo nemo venit ad te;
 quaésumus cleméntiam tuam,
 ut, intercedénte sancto Epiphánio, epíscopo,
 nos fámuli tui, per iter evangéllii ad te deducámur.
 Per Dóminum.

LECTIO PRIOR

« *Ut ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei* »

Lectio Epíst. primæ beáti Páuli apóstoli ad Corinthios 4, 1-5

Fratres :

Sic nos exístimet homo ut místros Christi et dispensatóres mysteriorum Dei. Hic iam quaéritur inter dispensatóres ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut a vobis iúdicer aut ab humano die; sed neque me ipsum iúdi-co; nihil enim mihi cóncius sum sed non in hoc iustificátus sum, qui autem iúdicat me Dóminus est.

Itaque nolíte ante tempus quicquam iudicáre, quoadús-que véniat Dóminus, qui et illuminábit abscondita tenebrárum et manifestábit consília córdium; et tunc laus erit uniu- cuíque a Deo.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 109, 1. 3. 4. (R. 4 bc)

R̄. Tu es sacerdos in ætérnum secúndum órđinem Melchí- sedech (*vel* Allelúia).

- 1 Dixit Dóminus Dómino meo: « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabéllum pedum tuórum. R̄.
- 2 Tecum Principátus in die virtútis tuæ, in splendóribus sanctis, ex útero matutíni velut rorem génui te. R̄.
- 3 Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: « Tu es sacerdos in ætérnum secúndum órđinem Melchisedech ». R̄.

ALLELUIA

Mt 28, 19a et 20b

R̄. Alleluia. V̄. Eúntes docéte omnes gentes, dicit Dómi- nus; et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus usque ad consummationem saéculi.
 R̄. A elúia

EVANGELIUM

« *Úntes in mundum universum, prædicate Evangelium* »

✠ Lécio sancti Evangéllii secúndum Marcum 16, 15-20

In illo témpore :

Appárens Iesus úndecim dixit eis :

« Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit, qui vero non credíderit, condemnábitur.

Signa autem eos qui credíderint hæc sequéntur: in Nómine meo dæmónia eicient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortiferum quid biberint non eos nocébit, super ægrótos manus impónent, et bene habébunt ».

Et Dóminus quidem Iesus postquam locútus est eis, assumptus est in cælum et sedit a dextris Dei. Illi autem profécti prædicavérunt ubique, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte, sequéntibus signis.

Verbum Dómini.

Super oblata

Súscipe, sancte Pater, múnera
quæ in beáti Epiphánii commemoratióne deférimus,
et præsta: ut, Spíritus tui lúmine perfúsi,
fidei integritátem firmiter teneámus.

Per Christum.

Ant. ad communionem

Io 15. 16

Non vos me elegístis, dicit Dóminus, sed ego elégi vos, et pósui vos ut vos eátis et frúctum afferátis, et fructus vester máneat (*T.P.* Allelúia).

Post communionem

Corda nostra, quaésumus, Dómine,
per sacraménta quæ sumpsimus, illústres et fóveas,
ut te pura fide agnóscant et perfécta diligant caritáte.

Per Christum.